


EPICEDION



QVot Procerum fortes animas, quot funera cry-
Ira Dium cerno recondi!

Nunquid ita heroum iuuat & labentibus annis
Corpora tristi occumbere letho?

Per breve iam spatium est, quo plures diva Zamosci
Fata sequuntur funere acerbo.

Sic Marienburgi præses Czema occidit, vt iam
Nusquam ego non regnasse proteruas

Parcarum insidias videam, quarum ausus acerbum
Nunc generat mihi corde dolorem.

At quia præsentium maior mihi copia fandi est,
Nunc aliorum laude quiesco.

Tantum hic Sobiesci rerum meminisse iuuabit:
Et quoque eorum, quæ accelerarunt

Funera Schenckingo. Fuit horum gratus vterq; &
Iudicio procerum atq; ZAMOSCI

Censuræ. Verum vna dies extinxit eosdem,
Atque ita vix eadem absuit hora.

Hic foris, ille domi occubuit. Sed spero futuros
Qui sua cælo laudibus æquent

Facta, per extenti labantia tempora seclis:
Nunc animus perstringere laudes

Schenckingi generis prisce de sanguine Auorum,
Cuius amicitiam haud cupiisset

Defensor patriæ ac vltor Zamoiscius heros,
Ni sibi virtus, stemma, labores,

Atq; viri splendor cum tot præstantibus ausis
Pridem animo comperta fuissent.

Multarum suprema sequar fastigia rerum,

*Epicedion memoriarum et honori magno
et generosi domini Schenckingii. 1807.*

-Hiusmodi fuit una de Liberehall.

Si faciendā exordia laudum:

Usque igitur fortis didicit certamina belli
Sub peregrino sole paratus
Cuspide & aduersum solers insurgere in hostem,
Ad Bicinum æqua prælia dextra
Committens, cum sorte noua præcellsa Cracouæ
Mœnia ferro concutere ausus
Hostis, in ærisonis trepide succumberet armis,
Hic igitur dum Martia gessit,
Usq; Zamoscæi sibi tunc deuinxit amorem,
Ut inruisse putatus honores,
Iverit in thalamos Neptis suasore Zamosco,
Dorpati huic concedidit oras
Experto curas, vsum euentuinq; laborum:
Huic aditus monstrauit honorum
Conspicuos, nomenq; nivosam extendit ad Arcton
Quando Sueco Milite prægnans,
Litrus Liuonicum tumuit, Schenckingius vltro
Dorpatensia mœnia Præses
Protexit, dum mobilior plebs mutua fractis
Colligeret periuria dextris.
Ipse fidem seruans, populo iurante, parata
Pie cecidit, vitæq; periculum
Audacter subiit, Caroliq; ita pertulit iras
Postea per Finlandica tesqua
Ductus & in vinclis quatuor detentus in annos
Sustinuit mala multa, quod esset
Præfulis eximi Vendensis frater Othonis,
Qui foret omni immobilis ævo
Defensor patriæ, iam morti addictus abibat.
Ille tamen Jovæ auspice dextra

Effugit Caroli rabiem, ut mutandus amicas
Teutonicæ telluris in oras
Per vada Balthiaci maris horrida portabatur.
Sicque sibi visa itio amica:
Et fere felix fuit, ex quo tempore liber
Ad veteres remeavit amicos.
Vix postliminio proprias inuiferat ædes,
Vixque senem vidisse Zamoscum
Contigerat, cœpit depascere corpora morbus:
Dumque laborum præmia quærit
Cracoviæ, spes læta animam defraudat agentem
Speque fugata traditur umbris.
Tanta fuit miseri per vitam cura laborum:
Tantus amor patriæ & quoque Regni
Compromissa fides, qua nil sibi sanctius vsquam
Extiterat vitamque dedisset,
Quam imago tentasset falsa periuria dextra.
Hunc igitur, quis non modo ploret?
Cum post tot casus, post tanta pericula belli,
Vermibus exorsa esca recumbat.
Hæcne exantlati sint præmia summa laboris?
Omnium ita æque vertitur urna:
At neque Principibus se se mors abstinet, ut non
Experiantur funera tandem.
Quocirca rerum memores mortisque futuræ
Conditionem sortis acerbæ
Lugemus pariter. Flent uxor, pignora & omnes
Quorum ut in vno fixa parente
Spes hæsit quocunque diu spectata reluxit
Non fucati causa favoris;
Imo Zamoscus Chelmenfis Episcopus vsque

Indoluit sincerus & ipse,
Cuius amicitiam affinis sibi iunxerat, & quem
Plus propriis redamarat ocellis.
Nunc si huic in vita nondum concessa fuerunt
Præmia victi digna laboris,
Certe aliis nunquam deerit clementia Regis,
Nec miserorum summa Livonum.
Spes sterilis fuerit. si quæ fuit antea prægnans,
Tam sobolem edat sydere fausto,
Optataq; diu generet pia fœdera pacis:
Quippe satis iactata procellis.
Tandem serpit humi tremula ut vix ausit inermis
Debilibus confidere plantis.
At nos continuis iactati fluctibus vna
Munera pacis polcimus omnes.

EPITYMBION

In hac tumba conditus est

GEORGIUS SCHENCKING, Theodorico patre & Anna Goës matre nobilissimis parentibus, prout longa progenitorum nobilium series commemorari potest, & ex insigniis quatuor progenitorum in clypeo depictis, breviter perspicui licet, natus anno 1560. Statim a primis annis cum vix decimum quartum ætatis annum absolvisset, ad nobiles virtutes, & bonos elegantioresq; mores addiscendos commendatus est Illustrissi et Clariss. Principi quondam Ioanni Megapolien. Duci pro puerro Nobili, cui cum charus admodum esset, usq; ad eiusdem principis vltimum vitæ terminum, eidem fideliter inservivit. Peracta sepultura, & aula defuncti Principis expedita, ad Illustrissimorum Principum Holsatiæ aulas se contulit, vbi tantisper commoratus est, quoad Serenissimus Stephanus bellicosissimus Polonorum Rex Moscho bellum pro Livonia recuperanda inferret, tunc ille aulis Principum relictis, castra tanti Regis sequutus, gloriose esse ducebat, pro patria arma contra hostem ferre, quam in otio honestissimo delitescere, atque ita cum aliquot bene armatis equis & famulis ad obsidionem Plescouien. sub ductu seu præfectura Magnifici olim Domini Georgii Farenbachii militiæ nomen dedit, annum tunc vigesimum ætatis agens. Finito Moschovitico bello, & pace Livoniæ

reddita, ad aulam Illustriss. Georgii Friderici M.
chionis Brandeburgensis Ducis Prussiz & Ansp.
chensis &c. &c. &c. se contulit, ubi aulicum egit
satis splendidum, quoad usq; Stephanus Rex more-
retur. Tunc quia Regnum Polon. propter duorum
Regum electionem in armis esset, Georgius Schen-
king partes Serenissimi Sigismundi tertii felicissime
regnantis Regis, sub ductu Illustrissimi Domini
Joannis Zamoycki de Zamoscio, Generalis Regni
Exercituum Ducis &c. &c. incipiendo ab electione
usque ad devictum & captum Serenissimum Ar-
chiducem Maximilianum, sub Bitzino, cum aliquot
bene instructis equis militaribus, proprio sumptu
sequutus est. Hæc eius fides & eximia merita adeo
grata fuerunt Illustrissimo Exercituum Duci Do-
mino Joanni Zamoycki, vt in matrimonium ei
elocatum agnatam suam Magnificam Dominam
Felicem de Zamoscio, simulq; totam Dorpatensem
Oeconomiam fidei illius concedidit; quam ille fe-
liciter & fidelissime decem integris annis admini-
stravit, quoad vsque Carolus Sveciz Sudermaniz
Dux bello prius illato quam indicto, Livoniam in-
vaderet, tunc defunctus Dominus Castellanus egre-
giam fidem suam in Serenissimum Regem & Rem-
pub. Poloniam, atq; etiam in Illustriss. Exercituum
Ducem contestatus est, nec facultatibus, nec vitæ
parens, cum ex Reipub. thesauro tam subito non
possent in milites stipendia obtineri, multa millia
florenorum proprii sui peculii in aliquot militum
turmas, & peditum cohortes exposuit, cum quibus
et se ipsum munitioni includit, & viriliter hosti

opposuit. Ast maior erat improvisi hostis poten-
tiam quam ut illi resisti tum posset, atq; in eius deve-
niant captivitatem, rebusq; omnibus, quas penes se ha-
buit, fuit spoliatus. Amor libertatis commouit eum
ut magna pecuniæ summa interposita ab hoste se re-
dimere conaretur. Sed ille contra ius belli, contra
pactionem & fidem datam, aliquot millibus thale-
rorum pro lytro acceptis, nihilominus Dominum
Castellanum in Sueciam abduxit, & quatuor annis
durissimis carceribus afflixit. Hinc sibi defunctus
Dominus Castellanus morbum grauem contraxit,
qui postea mortis occasionem præbuit. Non parvam
autem in eo divinam expertus est gratiam, quod ho-
stiles manus, licet æger corpore, mirabiliter euasit,
libertatemq; obtinuit ut in conspectu potius Sere-
nissimæ Regiæ Maiest. Domini sui & Reipub. uni-
uersæ, quibus fidelissime inservivit, quam in hosti-
co vitam finiret. Morti vicinus hoc petiit, ut in civi-
tate Regia Torunensi corpus suum humaretur, tum
quia hanc civitatem vivus ob ibi expertam singula-
rem humanitatem apprime diligebat: tum quod e-
andem, quæ ibi in usu est, religionem coleret. Re-
stat nunc vidua Magnifica & duo Filii, duæ quoq;
Filiolæ, summo incrore immaturam mortem de-
plorantes. Deus faxit, ut ob defuncti Domini
Castellani bene merita de Serenissimo Rege & Re-
gno Poloniæ præmia virtutum, & consolationem
condignam consequantur.

Ex Bibl. Univ. Tart.

INSCRIPTIO VEXILLI

dependentis supra sepulchrum defuncti.

Magnificus & Generosus Dominus GEORGIUS
SCHENCKING Livo, hæres in Antzen & Ternesa
Castellanus Vendenfis, propter fidem constanti-
amq; erga Serenissimum Regem & Regnum Po-
loniæ, a Carolo Sudermaniæ Duce Dorpati ca-
ptus, & quatuor annis in Suecia detentus, in
carceribus morbum contraxit, ex quo Cracoviæ
mortuus est, Anno Christi M. DC. V. Die
X Nouembr. Corpus hic quiescit.

TUMULUS EIUSDEM.

Sudermane, tuus carcer, tua perfida lingua,
Ante diem propero funere me abripuit,
Quamquam perfidiamque tuam, tetrosq; recessus
Carceris, euasi funeris ante diem.
Vt patriis vitam finire liber in oris,
Qui potui vitam perdere pro patria.

FINIS.